



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Forum Competens Quæstionibus ex Universo Jure  
selectis, atque ad praxin utilissimis illustratum, Seu  
Tractatus Canonico-Civilis**

**Friderich, Melchior**

**Ingolstadium, 1709**

§. I. Quæ causæ ad Forum seculare pertineant?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61662](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61662)

n. 17. cum ne quidem in causis contra Clericum coram Judice laico decisus, v. g. si is coram tribunali profano contra laicum egit aut ab eodem reconventus fuit, possit Judex laicus executionem in ejus bonis facere, sed ea facienda sit à Judice Ecclesiastico ad requisitionem laici, ut cum communi DD. dixi suprà n. 610. Nihilominus committere laicis tanquam organis & ministris contra Clericos possunt executionem aliquam & ministerium facti, ut loquitur Suar. *Lib. 4. Defens. Fid. c. 34. n. 25.* ad impedienda peccata & perturbationem publicam, ut eripiantur Clericis arma, quæ de nocte gerunt, vel ut comprehendantur in gravi delicto deprehensi, vel ut contumaces & comparere renuentes ad Judicem Eccles. pertrahantur. Pariter potest laicus in causis Ecclesiasticis esse Tabellio seu Notarius. Decius *l. c. n. 18.* cum communi DD. quam praxis Dioecesium confirmat. Ratio dari debet: quia Notarius est purus Minister, nullam in causa jurisdictionem exercens. Eadem ex ratione laicus Procurator esse potest, non tantum in causis Matrimonialibus, ut quidam volebant; sed etiam reliquis spiritualibus. Patet ex *C. 1. de Procurator. in 6. & C. 24. de Præbend.* Nudum enim exhibet ministerium absque ulla jurisdictione: neque agit nomine proprio. Potest denique esse Arbitrator in rebus spiritualibus & fructibus Beneficij cum alio quodam Arbitro, qui sit Clericus. *C. per tuas 9. de Arbitris.* In patrimonialibus verò & temporalibus Clericorum ac Ecclesiarum solus facere arbitrium potest. *C. Dilecti 4. eod.*

## C A P U T II.

### De Causis ad Forum Seculare pertinentibus.

#### §. I.

*Quæ Causa ad Forum Seculare pertineant.*

S s s

SUM.



## SUMMARIUM.

654. *Causæ profanæ inter laicos vel contra laicum à Clerico motæ solius Judicis laici jurisdictioni subsunt.*

655. *Nisi laicus in administranda justitia sit negligens.*

656. *Ob peccatum laici Ecclesiæ subditi semper corrigi & compelli ad emendationem possunt à Prælati Ecclesiasticis.*

657. *Possunt Clerici esse delegati Principis secularis.*

654. Regulæ instar receptum ac traditum Jure Canonico est *C. Novit ille 13. de Judic. & C. Ex tenore 11. de Foro Compet.* causas profanas inter laicos vel contra laicum motas solius Judicis laici jurisdictioni subesse. Hinc ipse etiam SS. Pontifex injustitiam committeret, si viâ ordinariâ & extra casum necessitatis causis temporalibus pertinentibus ad forum Principis aliorumque Judicum secularium, extra dominium ipsius temporale existentium, se immisceret, uti sumitur *ex cit. C. 11. & tradunt ibi Interpp.* Quæ de causa Rescriptum Pontificium à laico contra laicum in causa non Ecclesiastica impetratum, est ipso jure irritum, nisi in casibus mox referendis. Constat *ex C. Licet 10. de Foro Compet.*

655. Si tamen Judices seculares Fidelibus non administrant justitiam, possunt ac debent Judices Ecclesiastici, præsertim SS. Pontifices, succurere & defectum supplere. *C. Ex transmissa 6. cit. C. licet 10. de Foro comp. & cit. C. Novit 13. de Judic.* quidquid reclamant Thomas Michaël *de Jurisdic. thesi 39.* aliisque cum ipso. Non tamen administrat Judex Ecclesiasticus laicis justitiam in causis profanis, quamdiu adiri Judex laicus potest, ideoque non audiuntur, si oppressi vel rejecti à Judice laico inferiore, alium habent Judicem laicum superiorem, quem adire possint. Quod in ipsis etiam miserabilibus personis praxis observat, ut dixi *n. 391. & seqq.*

656. Ut verò in causis etiam temporalibus laicorum procedere possunt Prælati Ecclesiastici in defectum Judicis secularis: ita pariter possunt per viam Denuntiationis Evangelicæ de quolibet peccato



peccato mortali Fideles sibi subjectos corrigere, & si opus, sit per Censuras ad emendationem compellere, ut constat ex citatis Juribus, ac tradit concors Catholicorum DD. sententia. Etsi enim nec ipse SS. Pontifex in causis temporalibus laicorum jurisdictionem habeat, ut cum Innocent. *in cit. C. 10.* docet communis: subjiciuntur tamen Foro Ecclesiastico ratione peccati, praesertim si agatur de perjurio, violata pace &c. Et quidem non solum post commissum peccatum; sed etiam ante, ut videlicet evitetur. *cit. C. 13. de Judic.*

657. Possunt denique Episcopi alique Clerici esse Judices delegati ab Imperatore, alioue Principe seculari in causis civilibus, uti patet ex *C. de Fide Instrument.* Suntque haec delegationes Episcopis factae in Romano Imperio frequentes. Imò & Judices Ordinarij esse queunt, ut cum Panormit. & alijs notat Laym. *L. 1. Theol. Mor. tr. 5. p. 5. c. 8. n. 5.* dummodo abstineant à causis sanguinis. Ac olim passim causae civiles ab Episcopis decidebantur, prout annotavi supra *n. 453.*

S. II.

*An Judex Secularis supplere possit defectum  
Judicis Ecclesiastici.*

S U M M A R I U M.

658. *Negativa sententia defenditur.*

659. *Respondetur ad opposita.*

660. *Supplet Judex laicus juxta quosdam in realibus:*

661. *Et in causis mixti fori.*

662. *Nec non in causis feudalibus.*

663. *Si Judex ter interpellatus negligit administrare justitiam locus est appellationi; secus, simplici solum querela.*

658. *Cum juxta dicta n. 655. Judex Ecclesiasticus supplere possit defectum Judicis laici, consequens esse videtur, posse vicif-*